

In Phoeni-
sis Euripi-
dis.

Virg. in 2.
G:org. ele-
gater descri-
bit hãc uitæ

peruersitatem: Gaudent persusi sanguine fratrum, Exilioq; domos mutant, &c.

patrem non existimas? Vis intueri lucem, patrem non cupere eandem censes? Proinde non arbitraris filium suum, quum adhuc esset paruus, non dilexisset: & si quando febricitaret, non fuisse anxium, ac non dixisset sapius, Utinam febris, ipsum deserens me corripere: Deinde presentibus his difficultatibus & appropinquantibus, uide quales efferant uoces: Eteocles & Polynices nonne eadem matre & eodem patre erant prognati? nonne simul educati, simul uixerunt, ac simul etiam luserunt, eodem lecto saepe quieuerunt, sese mutuò deosculati sunt: ut si quis eos conspexisset, haud dubiè philosophos, qui de amicitia abhorrentia à uulgi sensu scribunt, irrisisset. At cum in medium incidisset tanquam caro, regnum atque tyrannis, considera qualia dicant: Vbi uidelicet ante turres stabis? Quid rogas: hic me opponam tibi, ut te interficiam. Et huius rei cupido me quoque tenet. Talibus illi detestationibus se mutuò deuouent. In uniuersum (nolite decipi) sic conciliatum sibi naturali instinctu est animal, ut nulli rei magis quam suæ propriæ utilitati sit deuinctum. Quicquid ergo impedimenti uisum fuerit usquam obfici, siue frater is fuerit, siue pater, siue filius, siue ametur, siue amet, eos omnes odit, abijcit, imprecando diris deuouet. Nihil enim æquè diligunt omnes atq; suum commodum, id ipsum est pater, frater, propinquus, patria, dii. Quòd si dii quoq; nobis istud impedire uideantur, conuicia in illos quoq; dicimus, statuasq; eorū subuertimus, & templa incendimus, quemadmodum fecit Alexander cum iuberet incēdi fanum Asclepæa, quum diem suum obisset quidam ei percharus. In eodem igitur capite collocabuntur, utile, sanctum, honestum, patria, parentes, amici, simulq; salua retinebuntur, quòd si alibi fuerit utilitas posita, & alibi parētes, patria, ipsumq; adeo